

Orpheus et Eurydicē

Dr. Stark

Latin via Ovid



Hymen voce Orphei ad nuptias cum Eurydice vocatur.
Ille deus matrimonii adfuit, sed nec verba laeta nec
omen felix attulit. Fax quam tenuit nullos ignes dedit.



Matrimonium exitum infelicem habuit, nam nupta,
Eurydice, dum per herbas cum turba comitum
ambulat, dente serpentis in pedem recepto, occidit.



Orpheus, postquam ad superas auras mortem Eurydices satis ploravit, ausus est ad Stygem descendere et eam inter umbras invenire. Proserpinam et Plutonem tenentem regnum umbrarum adiit et sic ait:



"O di positi sub terra, non huc descendi quod Tartarum videre desiderabam nec canem Cerberum, monstrum ingens, vincere. Causa viae est coniunx quam serpens necavit et crescentes annos abstulit.



"Conatus sum acre vulnus ferre, sine mea coniuge vivere, sed Amor vicit. Hic deus bene notus est in ora supera; forsitan hic de eo audivistis. Si fama rapinae est vera, Amor vos quoque coniunxit. Oro, retexite fata Eurydices.



"Omnia debemus vobis; nos omnes ad unam finem properamus. Haec est domus ultima; longissima regna tenetis. Cum Eurydice iustos annos egerit, vobis erit. Poscimus hoc donum; sed si fata negant veniam pro coniuge, certum est mihi hic manere. Gaudete morte duorum."



Eum dicentem talia animae exsanguēs* audiebant et lacrimabant.
Tantalus undam non petivit; orbis Ixionis stupuit; Sisyphus in suo saxo
sedit. Eumenides quidem lacrimas non retinebant nec rex Pluto nec
coniunx Proserpina ei oranti negare potuerunt; Eurydicen vocant.

*bloodless



Illa erat inter umbras recentes et tardo passu de vulnere ambulabat.
Orpheus gaudens eam accipit sed cum hac lege Plutonis; non debet
respicere Eurydicen donec ingentem speluncam Avernum exierit; aut
donum vanum.




Arduum et obscurum et acre erat iter eorum per muta silentia. Summa spelunca non procul afuit. Orpheus timens et avidus magnopere respicere desiderabat; amans oculos revertit et protinus illa relapsa est.*

*slipped back



Bracchia tendens et certans eam prehendere, nil nisi auras infelix tenuit. Descendens iterum illa dixit supremum "vale" quod iam vix auribus Orpheus accepit, et Eurydice rursus eodem reversa est.



Orpheus gemina morte coniugis stupuit. Charon eum frustra orantem et flumen Stygem iterum transire desiderantem prohibuit. Septem dies tamen ille sedit in ripa sine cibo. Lacrimae dolorque fuerunt cibus animi. Deinde dicens deos esse crudeles, se domum recepit, et numquam postea amorem feminarum aliarum petivit.

ferō, ferre, tulī, latus

to bear, carry

<i>Present</i>	<i>Imperfect</i>	<i>Future</i>	<i>Perfect</i>	<i>Pluperfect</i>	<i>Future Perfect</i>
ferō	ferēbam	feram	tulī	tuleram	tulerō
fers	ferēbās	ferēs	tulistī	tulerās	tuleris
fert	ferēbat	feret	tulit	tulerat	tulerit
ferimus	ferēbāmus	ferēmus	tulimus	tulerāmus	tulerimus
fertis	ferēbātis	ferētis	tulistis	tulerātis	tuleritis
ferunt	ferēbant	ferent	tulērunt	tulerant	tulerint

Imperatives: *Singular:* fer *Plural:* ferte

Third Declension Adjectives

One Termination

	Singular		Plural	
	M.&F.	N.	M.&F.	N.
Nom.	ingēns	ingēns	ingentēs	ingentia
Gen.	ingentis	ingentis	ingentium	ingentium
Dat.	ingentī	ingentī	ingentibus	ingentibus
Acc.	ingentem	ingēns	ingentēs	ingentia
Abl.	ingentī	ingentī	ingentibus	ingentibus

Third Declension Adjectives

Two Termination

	Singular		Plural	
	M.&F.	N.	M.&F.	N.
Nom.	omnis	omne	omnēs	omnia
Gen.	omnis	omnis	omnium	omnium
Dat.	omnī	omnī	omnibus	omnibus
Acc.	omnem	omne	omnēs	omnia
Abl.	omnī	omnī	omnibus	omnibus

Third Declension Adjectives

Three Termination

	Singular			Plural		
	M.	F.	N.	M.	F.	N.
Nom.	acer	acris	acre	acrēs	acrēs	acria
Gen.	acris	acris	acris	acrium	acrium	acrium
Dat.	acrī	acrī	acrī	acribus	acribus	acribus
Acc.	acrem	acrem	acre	acrēs	acrēs	acria
Abl.	acrī	acrī	acrī	acribus	acribus	acribus

Participles

Active

Passive

Present amāns, amantis
loving

Perfect ---

amātus, -a, -um
having been loved

Future amātūrus, -a, -um
about to love

amandus, -a, um
*to be loved,
about to be loved*